

eorum quæ dicit in proposito. Immo Petrus dicit alibi contrarium eorum quæ hic dicit, scilicet quod tanta et talis posset esse fictio in recipiente sacramentum etiam baptismi, quod nullum effectum sortiretur; et similiter in sacramento poenitentiae, ut alias visum est (dist. 17, q. 2); licet non omnis fictio impedit effectum baptismi, nec poenitentiae, nec hujus sacramenti, sed aliqua sic, et aliqua non. Si enim recipiens hoc sacramentum nunquam consensit, immo semper dissensit receptioni hujus sacramenti, nec habuit devotionem ad sacramentum, sed contemptum ejus, puto quod in eo casu nullum effectum recipit ex sacramento. De hoc sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 2, art. 2, q<sup>la</sup> 3, in solutione secundi, sic dicit: « Baptismus non requirit motum liberi arbitrii, quia datur contra originale principaliter, quod non curatur in nobis ex nostro libero arbitrio; sed in hoc sacramento requiritur motus liberi arbitrii. » Item, in solutione quartæ quæstiunculae, dicit sic: « Hoc sacramentum exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut Eucharistia. Unde, sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc sacramentum. » Item, q. 4, art. 4, q<sup>la</sup> 2, in solutione primi, sic dicit: « Hoc sacramentum, sicut et prædicta, quantum est de se, habet certitudinem; sed potest impediri ex fictione recipientis (etiam si sacramento subjiciat se per intentionem) quod nullum effectum consequitur. » — Hæc ille. — Ex quibus apparet quod multiplex indispositio recipientis impedit effectum hujus sacramenti: puta, si sit puer; aut sanus, singens se infirmum; aut carens omni devotione actuali, præsenti et præterita. Et multiplex alia fictio potest impedire omnem effectum hujus sacramenti.

Ad secundum contra eamdem conclusionem, dicitur quod, cum beatus Thomas fuerit italicus, præsumendum est quod ipse bene scivit formas (α) sacramentorum, quibus Ecclesiæ italicæ utuntur, et sic formam (β) Ecclesiæ ambrosianæ. Et sic videtur quod Ecclesia ambrosiana, conferendo sacramentum extremæ unctionis, utitur non solum verbis indicativis, immo deprecativis; potissimum quia Ambrosius non ignorabat verba beati Jacobii dicentis (cap. 5, v. 14 et 15): *Infirmitur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum; et, si in peccatis sit, dimittentur ei, etc.*; ubi traditur satis expresse quod unctione extrema, de qua ibidem loquitur, debet omnino fieri cum verbis deprecativis, non solum indicativis; cuius oppositum, si fiat, nil agitur. Et sic intelligo sanctum Thomam, prima questione hujus distinctionis, art. 4, q<sup>la</sup> 2, ubi arguit sic (tertio loco): « In quibusdam Ecclesiis dicuntur

hujusmodi verba in collatione hujus sacramenti: *Ungo hos oculos oleo sanctificato, in nomine Patris, etc.*; et hoc est conforme aliis formis sacramentorum. Ergo videtur quod in hoc consistat forma hujus sacramenti. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod verba illa indicativi modi, quæ secundum morem quorundam premittuntur orationi, non sunt forma hujus sacramenti; sed sunt quædam dispositio ad formam, inquantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba. » — Hæc ille. — Ex quibus videtur quod, licet aliquæ Ecclesiæ premittant orationi verba indicativa, et aliquæ non, quælibet tamen utitur verbis deprecativis, et nulla solis indicativis.

Ad argumentum principale contra quæstionem (α), respondet sanctus Thomas, art. 1, q. 4, hujus distinctionis, q<sup>la</sup> 1, in solutione primi, dicens quod « oleum quo catechumenus inungitur, sua unctione non perducit ad peccati remissionem, quia hoc ad baptismum pertinet; sed aliquo modo ad baptismum disponit. Et ideo non est sacramentum illa unctione, sicut unctione extrema. » — Hæc ille. — Qualis autem sit illa dispositio quam confert unctione illa præcedens baptismum, docet, dist. 6, q. 2, art. 3, q<sup>la</sup> 2, in solutione primi, dicens sic: « Sacraenta novæ legis habent effectum in conferendo gratiam, qua perfecte morbo subvenitur, contra quem sacramentum ordinatur. Sed sacramentalia habent effectum in removendo contrarias dispositiones, vel impedimenta gratiæ. Et ideo multiplicantur, nec in eis gratia confertur. » — Hæc ille. — Item, in solutione primæ quæstiunculae, sic dicit: « Olei inunctione significat expeditionem hominis in pugna quam adversus diabolum suscipit (γ), a cuius potestate exemptus est. » — Hæc ille.

Et hæc de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

## DISTINCTIO XXIV.

### QUÆSTIO I.

UTRUM ORDO SIT SACRAMENTUM

 IRCA vigesimquartam distinctionem  
4. Sententiarum queritur: Utrum ordo  
sit sacramentum.

Et arguitur quod non. Quia, sicut prælatio spiritualis, quæ est ordo, datur cum qua-

(α) *formas.* — *formam* Pr.

(β) *formam.* — *formas* Pr.

(γ) *questionem.* — *conclusionem* Pr.

(δ) *suscipit.* — *suscepit* Pr.

dam consecratione; ita et prelatio secularis, quia reges inunguntur. Sed regia dignitas non est sacramentum. Ergo nec ordo, de quo loquimur.

In oppositum arguitur. Quia ordo ab omnibus numeratur inter septem Ecclesie sacramenta.

In hac quæstione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

## ARTICULUS I.

### PONUUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit.

**Prima conclusio:** Quod ordo ecclesiasticus, in quo datur potestas, est vere sacramentum.

Hanc conclusionem, quoad tres sui partes, ponit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 4. Nam primam partem, scilicet quod ordo sit et debeat esse in Ecclesia, probat, ibidem, in solutione primæ quæstiunculae, dicens: « Deus sua opera in sui similitudinem producere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent, et per ea cognosci posset. Et ideo, ut in suis operibus representaretur non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem posuit omnibus, ut ultima per media perficerentur, et media per prima, ut dicit Dionysius (*de Ecol. Hier.*, cap. 5). Et ideo, ut ista pulchritudo Ecclesie non deesset, posuit ordinem in ea, ut quidam aliis sacra traderent, suo modo in hoc Deo assimilati, quasi Deo cooperantes; sicut etiam in corpore naturali quedam membra aliis influnt. » — Haec ille.

Item, ibidem, arguit sic (arg. 2 Sed contra): « Status Ecclesie est medius inter statum naturae et gloriae. Sed in natura invenitur ordo, quo quedam aliis superiora sunt; et similiter in gloria, ut patet in angelis. Ergo in Ecclesia debet esse ordo. » — Haec ille.

Ex quibus patet ratio pro prima parte conclusionis.

Secundam partem ejusdem, scilicet quod ordo ecclesiasticus sit spiritualis potestas, vel saltem in ordine conferatur spiritualis potestas, probat, ibidem, in solutione secundæ quæstiunculae, ubi recitat dicta Magistri in littera ponentis definitionem ordinis, que talis est: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesie, per quod spiritualis potestas traditur ordinato.* Postea sanctus Thomas, exponendo predictam definitionem, sic dicit: « Diffinitio quam ponit Magister de ordine, convenit ordini secundum quod est Ecclesie sacramentum. Et ideo duo ponit: scilicet signum exterius, ibi, *signaculum quoddam*, id est, signum quoddam; et effectum interio-

rem, ibi, *per quod spiritualis potestas*, etc. » — Haec ille.

Item, ibidem, in solutione primi argumenti, sic dicit: « Signaculum non ponitur in hac diffinitione pro charactere interiori, sed pro eo quod exterius geritur, quod est signum interioris potestatis et causa; et sic etiam sumitur character in alia diffinitione (α). Si tamen pro interiori charactere sumetur, non esset inconveniens: quia divisio sacramenti in illa tria, scilicet quorum unum est sacramentum tantum et aliud res tantum, et aliud res et sacramentum, non est in partes integrales, proprie loquendo; quia illud quod est res tantum, non est de essentia sacramenti; quod est etiam sacramentum tantum, transit; et sacramentum manere dicitur. Unde relinquitur quod ipse character interior sit essentialiter et principaliter ipsum sacramentum ordinis. » — Haec ille.

Ex quibus patet quod ordo est potestas spiritualis, vel confert potestatem spiritualem, ex diffinitione quam ponit Magister.

Tertiam partem conclusionis, scilicet quod ordo sit sacramentum, probat sanctus Thomas, ibidem, in solutione tertie quæstiunculae, dicens: « Sacramentum nihil aliud est quam quadam sanctificatio hominis, exhibita cum aliquo signo visibili. Unde, cum in susceptione ordinis quadam consecratio homini adhibetur per visibilia signa, constat ordinem esse sacramentum. » — Haec ille.

Ex quibus patet ratio in forma pro tertia parte conclusionis.

**Secunda conclusio** est quod, licet sint plures ordines, omnes tamen sunt unum totale perfectum sacramentum, et non plura totalia perfecta; nec plures ordines totales et perfecti, sed unus, totalis et perfectus ordo.

Primam partem hujus ponit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 2, art. 4, in solutione primæ quæstiunculae, dicens: « Ordinum multitudo inducta est in Ecclesia propter tria. Primo, propter Dei sapientiam commendandam, que in distinctione ordinata rerum maxime relucet, tam in naturalibus quam in spiritualibus; quod significatum est, quia regina Saba, videns ordinem ministriantum Salomonis, non habebat ultra spiritum, deficiens in admiratione sapientiae ipsius (3. *Regum*, cap. 10). Secundo, ad subveniendum humane infirmitati: quia per unum non poterant omnia quæ ad divina ministeria pertinebant expleri sine magno gravamine; et ideo distinguuntur ordines diversi ad diversa officia. Et hoc patet per hoc quod Dominus, *Numerorum* 11, dedit Moysi septuaginta senes populi in adjutorium. Tertio, ut via proficiendi

(α) vel sequenti distinctione. — Ad. Pr.

hominibus amplius daretur, dum plures in diversis officiis distribuantur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius, ut dicit Dionysius (*de Eccl. Hier.*, cap. 5). — Hæc ille.

Ex quibus patet triplex ratio pro prima parte conclusionis; quam probat ulterius ibidem arguendo pro conclusione: « Quia Ecclesia est corpus Christi mysticum, simile corpori naturali, secundum Apostolum (*1. Corinth.* 12). Sed in corpore naturali sunt diversa membrorum officia. Ergo in Ecclesia debent esse diversi ordines. — Item, ministerium novi testamenti est dignius quam ministerium veteris, ut patet, *2. Corinth.* 3. Sed in veteri testamento non solum sacerdotes, sed etiam levite ministri eorum sanctificabantur. Ergo in novo testamento debent consecrari per ordinis sacramentum non solum sacerdotes, sed ministri eorum; et ita oportet quod sint plures ordines. » — Hæc ille.

Secundam partem conclusionis ponit ibidem, in solutione secundi. Arguit enim sic, secundo loco: « Si ordo dividitur, aut est divisio totius in partes integræ, aut in partes subjectivas. Non in partes integræ: quia sic non recipierent prædicationem totius. Ergo est divisio in partes subjectivas. Sed partes subjectivæ recipiunt in plurali prædicacionem generis remoti, sicut generis proximi; sicut homo et asinus sunt pluræ animalia, et pluræ corpora animata. Ergo sacerdotium et diaconatus, sicut sunt plures ordines, ita sunt pluræ sacramenta; cum sacramentum sit quasi genus ad ordinem. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod distinctio ordinis non est totius integralis in partes, neque totius universalis, sed totius potestativi; cuius hæc est natura, quod solum secundum completam rationem est in uno; in aliis autem est aliqua participatio ipsius; et ita est hic. Tota enim plenitudo hujus sacramenti est in uno ordine, scilicet in sacerdotio; sed in aliis est quædam participatio. Et hoc significatum est in hoc quod dicit Dominus Moysi, *Numerorum* 11 (v. 17): *Auferam de spiritu tuo; et tradam eis, ut sustentent onus populi!* Et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Totum potestativum non prædicatur pluraliter cum sua totalitate de partibus suis collective sumptis, sed solum singulariter. Sed hoc quod dico, *sacramentum ordinis*, vel *ordo*, est quoddam totum potestativum respectu septem ordinum. Ergo non prædicatur cum sua totalitate de illis pluraliter, sed singulariter: ut possit dici quod illa septem sunt totale perfectum sacramentum ordinis, et non plura totalia perfecta sacramenta, vel ordines perfecti totales (α).

Et in hoc primus articulus terminatur.

(α) *totales.* — *totalis* Pr.

## ARTICULUS II.

### PONUUNTUR OBJECTIONES

#### § 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM.

**Argumenta Scoti.** — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem contra primam arguit Scotus (dist. 24, q. 1), probando quod sacramentum ordinis non sit potestas spiritualis ad aliquem actum in ecclesiastica hierarchia.

**Primo.** Quia ex ista descriptione sequitur quod episcopatus sit ordo; cum sit potestas ad aliquem actum spiritualem in Ecclesia (ut pote ad actum confirmandi, et conferendi ordines sacros), et non tantum potestas congrue exercendi, sed simpliciter exercendi; quia non episcopus, si attentet istos actus, ut videtur, nihil facit.

**Secondo.** Quia sequitur quod sub ordine sacerdotali non sit aliquis ordo; quod est contra omnes. Probatur: quia istam potestatem non habet diaconus, nec subdiaconus; quia, etsi ipse possit aliquid facere congrue, quod non faceret laicus, tamen, si laicus attentet illud facere, simpliciter facheret.

**Tertio.** Quia sequitur quod sacerdotium sit duo ordines: quia sacerdoti competit duplex potestas spiritualis, scilicet confaciendi Eucharistiam, et absolvendi pœnitentem; quae non sunt una potestas; quia una videtur prior altera, quia in coena Deus contulit primam Apostolis, secundam autem non nisi post resurrectionem, *Johan.* 20 (v. 23). — Hæc Scotus, in forma.

#### § 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM.

**I. Argumenta Durandi.** — Contra secundam conclusionem arguit Durandus (dist. 24, q. 2), probando quod ordo in generali acceptus non dividatur in speciales ordines sicut in sacramenta, sed sicut in sacramentum et sacramentalia: ita quod solum sacerdotium est ordo et sacramentum; cetera vero sunt ordines, non tamen sacramenta, sed quædam sacramentalia. Et hoc probat

**Primo** sic. Quando plures actiones ordinantur ad unum spiritualem effectum, ita quod una attingit illum, alie vero solum disponunt, illa sola quæ principaliter attingit, est sacramentum, ceteræ vero sunt sacramentalia tantum: sicut patet de catechismo et exorcismo respectu ablutionis sub determinata forma verborum; quia enim omnes istæ actiones ordinantur ad ablutionem peccati originalis, et ad hanc attingit sola ablution exterior, ceteræ vero sunt tantum dispositiones, ideo sola ablution est sacramentum, exorcizatio autem et catechizatio sunt sacramentalia tantum. Nunc est ita, quod omnes ordinaciones ministrorum Ecclesiae sunt

principaliter propter sacramentum Eucharistiae consciendum et ministrandum; ad hoc autem attingit potestas sacerdotalis, cetero vero solum disponunt, quædam (x) a remotis, et aliae de propinquio. Ergo sola ordinatio sacerdotalis est sacramentum, cetero vero sunt sacramentales tantum.

**Secundo** sic. Sicut potestas quæ datur in baptismō, est ad suscipiendum sacramenta, sic potestas ordinis, ut est sacramentum, est ad consciendum vel conferendum ea; correspondent enim sibi invicem, sicut potentia activa et passiva. Sed, in ordinibus sub sacerdotio, non confertur aliqua potestas ad consciendum vel conferendum sacramenta; unde diaconus, qui superior est inter illos, ex ordine non habet aliquod sacramentum consicere vel conferre, quamvis sacramentum Eucharistiae confectum a sacerdote habeat mediante vase dispensare, vel portare solummodo, vel offerre. Ergo nullus ordo sub sacerdotio est propriæ sacramentum.

**Tertio.** Quia in ordinatione sacerdotiis confertur potestas, vel deputatio, per quam ordinatus potest aliquid facere, quod prius non poterat, etiam quoad genus facti: sicut ordinatus in sacerdotem potest consicere corpus Domini, absolvere in foro poenitentia; quod non poterat sine tali ordine. Sed, in ordinibus inferioribus sacerdotiis, nulla potestas, vel deputatio, confertur ordinato, per quam possit aliquid quod non poterat prius, sed solum per quam licet facere quod non licet prius: quidquid enim potest diaconus ordinatus, puta legere Evangelium, ministrare sacerdoti, etc., totum poterat facere prius, sed non licet ei; et similiter est in inferioribus ordinibus. Ergo, cum potestas sit ad posse, et non ad licere, potestas quæ confertur in aliis ordinibus a sacerdotio, non est potestas simpliciter, sed secundum quid; nec illi ordines sunt ordines simpliciter, cum ordo sit signaculum Ecclesie mediante quo spiritualis potestas traditur ordinato; quare nec sunt sacramenta simpliciter, sed secundum quid, sive quædam sacramentalia. Et quod plus est, in quibusdam minoribus non datur potestas per quam ordinatus possit aliquid facere, vel ei licet, quod prius non posset, vel ei non licet; sicut est de ostiario, lectore et acolytho. Omnia enim officia predicatorum ordinum licite faciunt non ordinati, sicut ordinati, secundum usum universalis Ecclesie. Unde deputatio ad predicta officia facienda videtur esse ab institutione Ecclesie, ad solemnitatem divini cultus. Ecclesia autem non potest instituere sacramenta, sed solum sacramentalia.

**Quarto.** Confirmatur hoc per commune dictum doctorum. Dicunt enim communiter quod a distinctio ordinum non est totius integralis in suas partes, nec totius universalis in partes subjectivas; sed totius potestativi. Cujus hæc est natura, quod totum

secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio illius. Et ita est hic. Tota enim plenitudo hujus sacramenti est in uno ordine, scilicet in sacerdotio; in aliis autem est aliqua participatio ordinis. Ex quo ergo tota plenitudo sacramenti est in sacerdotio, in aliis autem solum quædam participatio, patet quod non sunt proprie sacramenta, sed quædam sacramentalia. Nec video quare hoc non possit teneri probabiliter. Immo non videtur quod aliter possit salvare dictum fratris Thomæ, cuius sunt verba praecedentia (4. *Sentent.*, dist. 24, q. 2, art. 1, q<sup>ta</sup> 4, ad 2<sup>um</sup>). Quia, si quilibet ordo est per se et simpliciter sacramentum, tunc plures ordines sunt plura sacramenta, et non unum tantum, ut ipse dicit. Et iterum, ordo erit totum universale ad speciales ordines, et sacramentum similiter, et (z) speciales ordines erunt ejus partes subjectivæ: quia illæ sunt partes subjectivæ, quæ per se et simpliciter recipiunt prædicationem totius; et sic esset in proposito, si quilibet ordo esset per se et simpliciter sacramentum; quod iterum ipse negat. Si vero omnes ordines sunt unum sacramentum, ut partes ejus, quemadmodum consecratio panis et consecratio vini faciunt unum sacramentum completum Eucharistie, sequeretur quod speciales ordines essent (e) partes integrales unius sacramenti ordinis; quemadmodum in sacramento Eucharistie consecratio panis et vini sunt partes integrales ejus; hoc autem iterum ipse negat. Non restat ergo quod possit ejus intentio salvari, nisi modo supradicto, scilicet quod sacerdotium sit per se et simpliciter ordo et sacramentum, cetera vero sint sacramentalia tantum.

**Quinto** principaliter. Quia, si aliquid moveret ad opositum, hoc potissimum videretur esse (y) ratio quam quidam inducunt, que talis est: Omne illud in quo confertur gratia ex opere operato, est sacramentum; sed in ordinatione diaconi et subdiaconi gratia confertur ex opere operato; ergo sunt sacramenta. Minor probatur sic: Quicumque deputatur divinitus ad aliquod officium cuius executio non potest fieri congrue sine gratia, illi datur gratia in collatione officii, quia Deus non deficit in necessariis; sed diaconus et subdiaconus in sua ordinatione deputantur ad officia quæ congrue sine gratia exequi non possunt; deputantur enim ad sacramenta tractanda, quæ immundis tangere nefas est, secundum Dionysium, primo capite *Ecclesiastice Hierarchiæ*; ergo in eorum ordinatione confertur eis gratia; ergo sunt sacramenta. — Sed hoc non valet, propter duo. Primo, quia major propositio est vera in illis operibus quæ directe et immediate ordinantur ad tollendum peccatum: quia, cum peccatum

(x) et. — Om. Pr.

(y) essent. — erunt Pr.

(z) esse. — Om. Pr.

catum non tollatur nisi per gratiam, actio per quam confertur gratia, est ibi principalissima, et ideo est sacramentum, sicut est ablutio in baptismo. In operibus autem que non immediate ordinantur contra peccatum, sed ad confessandum potestatem seu officium propter aliquem finem, illa sola operatio est sacramentum, per quam confertur potestas que directe et immediate ordinatur ad finem intentum; quia illa sola est principalis; ceterae vero, etsi eis conferatur gratia, sunt administrative; et ideo solum sunt sacramentales, et non sacramentum. Sic autem, est in ordinibus, ut declaratum est prins. Ideo, etc. — Secundo, quia posset dici ad minorem propositionem, quod ipsa non sumitur universaliter pro omnibus ordinibus sub sacerdotio, sed solum pro diaconatu et subdiaconatu. Nec ejus probatio se extendit ad minores ordines de quibus superius facta est mentio, videlicet ad ostiarium, lectorem, acolythum: quia officia predictorum ordinum possunt licite ( $\alpha$ ) exerceri sine gratia (quamvis non meritorie, quia sine gratia nullum opus est meritorium); et ideo per illam rationem non probatur quod in collatione predictorum ordinum conferatur gratia. — Dictum etiam Dionysii, quod immundis symbola tangere nefas est, intelligitur de administratione sacramentorum; que non pertinet ad diaconum vel subdiaconum, sed solum ad sacerdotem. — Rursus, si dicatur quod sacramentum et sacramentalia debent simul conferri, cum sacerdotio autem non simul conferuntur reliqui ordines; — non valet. Quia non oportet sacramentalia simul conferri cum sacramento: nam, in primitiva Ecclesia ( $\beta$ ), multis diebus, et quandoque pluribus annis, catechizabantur aliqui priusquam baptizarentur, sicut legimus de beato Martino; et, eodem modo, prius tempore promovetur quis ad minores ordines gradatim, antequam fiat sacerdos, ut probato in minoribus majora committantur. — Hac Durandus, in forma.

## II. Argumenta aliorum ( $\gamma$ ). — Ab aliis arguitur sic

**Primo.** Si quilibet ordo per se non debeat dici sacramentum, sed omnes simul unum sacramentum sunt; ergo quilibet ordo aut essentialiter pertinet ad sacramenti ordinis rationem, sicut consecratio vini essentialiter pertinet ad sacramentum Eucharistiae, sicut consecratio panis, et e converso; quod nullus dicit; vel in uno tantum consistit ratio sacramenti, scilicet in sacerdotio, in aliis autem concomitatively tantum, tanquam in sacramentalibus adjunctis; et habetur propositum.

**Secundo.** Quia, si ordo est sacramentum, quili-

bet ordo erit sacramentum; sed cum ordines sint septem, sequitur quod sint septem sacramenta, vel tredecim ( $\alpha$ ).

**Tertio.** Quia, si quilibet ordo est sacramentum; aut per se, et sic sunt partes subjectivae, et ordo erit totum universale; aut sic quod omnes sunt unum sacramentum, et tunc sunt partes integrales. Sed utrumque est falsum. Ergo, etc.

**Quarto.** Illud solum est sacramentum, quod attingit ad effectum principaliter intentum; quod vero disponit, est sacramentale. Et hoc patet per Thomam, supra, dist. 23, q. 4 ( $\beta$ ). Cum ergo solum sacerdotium attingat ad effectum principalem, illud solum est sacramentum, cetera vero sacramentalia.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

## ARTICULUS III.

### PONUNTUR SOLUTIONES

#### § 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**Ad argumenta Scotti.** — Quidam ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem

**Ad primum** Scotti contra primam conclusionem, dicitur quod consequens illatum non est inconveniens: quia episcopatus est ordo, accipiendo ordinem uno modo, secundum quod videbitur in sequenti questione. Ideo de hoc non amplius dicitur pro presenti.

**Ad secundum**, negatur consequentia: quia non solum sacerdos, verum etiam subdiaconus et diaconus et ceteri ordinati habent spiritualem potestatem, et recipiunt characterem in sua ordinatione. De hoc sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 4, art. 2, in solutione secundae quaestione, sic dicit: «Circa hanc questionem fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt quod in solo ordine sacerdotali imprimitur character. Sed hoc non videtur verum: quia actum diaconi nullus potest exercere licite nisi diaconus; et ita patet quod habet aliquam potestatem spiritualem in dispensatione sacramentorum, quam alii non habent. Et propter hoc alii dixerunt quod in sacris ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus. Sed hoc iterum nihil est: quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatae ad sacramentorum dispensationem; unde, cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus character imprimatur. Cujus etiam signum est, quod perpetuo manent, et nunquam reiterantur. Et haec est tertia opinio, quae

( $\alpha$ ) licite. — Om. Pr.

( $\beta$ ) prins. — Ad Pr.

( $\gamma$ ) Hoc argumenta reperiuntur apud Petrum de Palude, dist. 24, q. 1.

( $\alpha$ ) vel tredecim. — Om. Pr.

( $\beta$ ) Cfr. Dist. preecd., art. 4, concl. 1.

communior est. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Quilibet ordo vel habet actum circa ipsum sacramentum, vel ordinatum ad sacramentorum dispensationem: sicut ostiarii habent actum admittendi homines ad diuinorum sacramentorum inspectionem; et sic de aliis. Et ideo in omnibus requiritur spiritualis potestas. » — Haec ille. — Cum autem dicit arguens, quod laicus potest facere quidquid potest diaconus, quanvis non licite, etc.; — dicitur quod hoc confirmat propositum: quia actus licitus et actus illicitus, dicit quandoque sint ejusdem speciei in esse nature, differunt tamen specie vel genere in esse moris vel juris; et ideo laicus non potest facere actum ejusdem speciei secundo modo dictae cum illo quem potest facere ordinatus; et sic oportet quod ordinatus habeat aliquam potestatem spiritualem, absolutam vel respectivam, quam non habet laicus, vel non ordinatus. Item, quidquid sit de actibus exterioribus, tamen character ordinis aliquem actum interiorem habet, cui similem non potest habere non ordinatus: puta signare, distinguere et configurare. De qua materia diffuse loquitur sanctus Thomas; quarta distinctione hujus, q. 4, art. 1.

Verumtamen ad hoc argumentum diffusius respondeat Petrus de Palude (dist. 24, q. 2), dicens: « Quidam dicunt quod non in omni ordine est character proprie dictus. Ubi est sciendum quod, secundum eos, cum character sit potestas per quam homo ( $\alpha$ ) operatur divinas actiones, sicut aliquid habet duplice rationem potestatis, sic et characteris. Potestas enim proprie dicitur per quam possumus in actum in quem alias non possemus; sed potestas secundum quid, est per quam licite possumus quod alias poteramus sed non licite. Et sic character simpliciter, dicitur potestas per quam possumus in actum in quem prius non poteramus; sed character secundum quid, dicitur potestas per quam licite possumus in actum in quem prius poteramus sed non licite. Accipiendo ergo ( $\beta$ ) characterem pro potestate simpliciter dicta, sic character non imprimitur nisi in sacerdotio; non autem in inferioribus ordinibus. Cujus rationem assignant: quia cuicunque confertur aliqua potestas spiritualis simpliciter talis, potest in spiritualem effectum in quem non poterat prius, ut dictum est; sed sacerdos, post suam ordinationem, potest in spiritualem effectum in quem non poterat prius, quia potest confidere sacramentum Eucharistiae, et absolvere in foro poenitentiae, quod prius non poterat; diaconus vero et inferiores ordines, post ordinationem suam, non possunt in aliquem effectum in ( $\gamma$ ) quem prius non possent, quamvis licet eis nunc quod non licet.

prius; prius enim poterat Evangelium legere, et sacerdoti ministrare, sed non licet; ergo in ordine sacerdotis confertur potestas spiritualis simpliciter dicta, non autem in ordine inferiorum; si ergo character sit potestas spiritualis, sequitur quod character proprie et simpliciter dictus imprimatur in sacerdotio, et non in inferioribus ordinibus. Nec est instantia nisi de exorcista, qui videtur in sua ordinatione accipere potestatem ad effectum spiritualem, scilicet ad impediendum potestatem diaboli. Sed istud, secundum Cyprianum, non cogit: quia ipse ponit quod exorcismus nihil facit, sed tantum significat illud quod in baptismo postea officiatur. Dicit enim sic (*Epist. 76 ad Magnum, De haereticis baptismi*): *Sedias diaboli nequitiam permanere usque ad aquam salutarem, in aqua autem baptismi omnem nequitiam amittere* ( $\alpha$ ). Et ita, secundum ipsum, exorcista non habet potestatem super diabolum. Sed quia contrarium tenetur communius, ideo potest concedi quod in ordine exorcisticus imprimatur character. Nee tamen propter hoc est dignior ceteris ordinibus: quia, quamvis in hoc excedat, tamen in alio exceditur, in hoc scilicet quod actus aliorum ordinum magis de propinquuo se habent ad sacramentum Eucharistiae quam actus exorciste, qui immediate ordinatur ad tollendum impedimentum baptismi, et, mediante baptismi, ad Eucharistiae sacramentum. Si vero character accipiatur secundo modo, scilicet pro potestate per quam licite possumus in actum in quem prius poteramus sed non licite, sic dicendum est quod in omnibus ordinibus imprimitur character: quia per quilibet ordinem deputatur ordinatus ad actum, qui est sacer, vel ratione materiae, vel ex relatione quam habet ad Eucharistiae sacramentum. — Sed contra: *Quia in confirmatione imprimitur character proprie*, sicut in baptismo et sacerdotio, et tamen per illum non potest in quod prius non posset etiam licite, sed tantum ex officio; sicut miles etiam non recipit potestatem facti, sed officii, ad pugnandum. Et ultra, quia illa quae non imprimunt characterem, reiterantur. Ergo, etc. — Sed ad hoc dicent quod illa per quae sunt deputationes ad aliquod sacrum ( $\delta$ ) cum consecratione, illa non iterantur quamdiu res manent, licet consecratio non imprimat characterem, nec sit sacramentum, sed importat solam deputationem ad aliquod sacrum. » — Haec Petrus.

Mihi videtur quod opinio quam recitat, et in parte approbat, non est vera quoad aliqua, scilicet quod potestas quae confertur aliis ordinibus a sacerdotio, sit potestas solum per quam quis licite potest quod prius poterat sed non licite. Hoc enim falsum

( $\alpha$ ) Cfr. can. 427, § 4, Dist. IV, *de Cons.* — Item Migne, Patrol. latin., t. 3, col. 1198.

( $\beta$ ) *sacrum*. — *sacramentum* Pr.

( $\gamma$ ) *homo*. — Om. Pr.

( $\delta$ ) *ergo*. — Om. Pr.

( $\gamma$ ) *in*. — Om. Pr.

est in omnibus minoribus ordinibus, vel saltem tribus illorum. Unde sanctus Thomas, secunda quæstione hujus distinctionis, art. 2, arguit sic, nono loco : « In quolibet actu ordinis spiritualis debet esse aliqua vis spiritualis, quam habent ordinati pre aliis. Sed in apertione et clausione ostiorum non habent aliam potestatem spiritualem ostiarii quam alii homines. Ergo hoc non debet poni actus ipsorum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Quidam, inquit, dicunt quod in susceptione ordinis datur ostiario quedam vis divina, ut arcere possit alios ab introitu templi, sicut et in Christo fuit quando ejecit vendentes de templo. Sed hoc magis pertinet ad gratiam gratis datam quam ad gratiam sacramenti. Et ideo dicendum quod suscipit potestatem ut ex officio hoc agere possit, quamvis etiam hoc ab aliis fieri possit, sed non ex officio. Et ita est in omnibus actibus minorum ordinum, quod possunt per alios licite fieri, quamvis illi non habeant ad hoc officium; sicut etiam in domo non consecrata potest dici Missa, quamvis consecratio Ecclesie ad hoc ordinetur ut Missa in ipsa dicatur. » — Hæc ille.

Patet ergo, ex omnibus predictis, quod character ordinis aliquis est potestas ad faciendum aliquid, quod sine illo non posset fieri, nec licite, nec illicite; sicut character sacerdotii, vel exorcistæ. Aliquis vero est potestas ad faciendum aliquid, quod sine illo posset fieri, sed non licite; sicut character diaconatus et subdiaconatus. Aliquis vero est potestas ad faciendum aliquid, quod sine illo posset fieri licite, sed non ex officio; sicut est character trium minorum ordinum. Et simile est de charactere confirmationis, ut ponit sanctus Thomas, septima distinctione *Quarti*, q. 2, art. 1, q<sup>la</sup> 3 (ad 4<sup>um</sup>).

Utrum autem potestas vel character sex ordinum extendat se ad aliquem effectum interiorem et spiritualem, in quem non posset carens tali ordine, non est manifestum, nec a doctoribus determinatum, nisi de exorcismo, de quo dicit beatus Thomas, sexta distinctione hujus, q. 2, art. 3, in solutione secundæ quæstiunculae, quod « ea quæ in exorcismo dicuntur et aguntur, aliquem effectum habent in eo qui exorcizatur; qui quidem effectus est debilitatio potestatis dæmonis, ne tantum possit in hominē sicut ante, ne (z) baptismum et (6) alia bona impedit in ipso. » — Hæc ille. — Tamen ex hoc non directe potest concludi quod illa activitas sit in exorcista, sed solum quod in verbis exorcismi. Potest tamen probabiliter concedi quod sit in utrisque. Forte actus inferiorum (7) ordinum aliquem effectum habent nobis ignotum in corpore Christi mystico, positivum vel privativum, disponentem

populum ad sacramentorum dignam susceptionem vel inspectionem; quem effectum non habet actus exercitus per ministrum laicum non ordinatum. Hoc autem puto indubitanter verum, quod nullus laicus potest exercere licite actum exorcistæ; quod si præsumeret, nihil faceret, et mortaliter peccaret. Et sic patet ad secundum Scoti.

Ad tertium ejusdem, negatur consequentia. Nec valet probatio, ut alias dictum fuit, dist. 19, q. 1 (z). Quia potestas sacerdotalis unica est secundum essentiam absolutam, licet habeat diversos actus, et consequenter diversos respectus, et habitudines, et nomina. — Cum autem dicit arguens, quod una illarum prius tempore data fuit Apostolis quam alia; — negatur. Sed conceditur quod eadem potestas primo data fuit Apostolis in cœna, quoad usum ejus primarium et principalem, et post resurrectionem fuit eis data quoad alium usum, vel actum secundarium et minus principalem, modo alias (6) exposito. Et de hoc allegatum fuit, ibidem, dictum sancti Thomæ in praesenti distinctione, q. 2, art. 3, in solutione secundi, ubi sic dicit : « Dominus discipulis dedit sacerdotalem potestatem, quantum ad principalem actum, ante passionem, in cœna, quando dixit (Matth. 26, v. 26) : Accipite et manducate; unde subiunxit (Lucie 22, v. 19) : Hoc facite in meam commemorationem. Sed post resurrectionem dedit eis potestatem sacerdotalem quantum ad actum secundarium, qui est ligare et solvere. » — Hæc ille. — Ibidem etiam dicit, in principali solutione, quod « collatio potestatis sacerdotalis fit per hoc quod dat eis aliquid quod ad proprium actum pertinet; et quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur. » — Hæc ille. — Item, dist. 18, q. 1, art. 1, q<sup>la</sup> 2, in solutione primi, sic dicit : « Ad duo quorum unum est causa alterius, una potestas ordinatur; sicut in igne ad calefaciendum et dissolvendum. Et quia omnis gratia et remissio in corpore mystico ex capite suo provenit ei, ideo eadem potestas videtur esse per essentiam, qua sacerdos confidere potest, et qua potest ligare et solvere, si jurisdictio adsit. Nec differt nisi ratione, secundum quod ad diversos effectus comparatur; sicut etiam ignis dicitur secundum aliam rationem calefactivus et liquefactivus. Et quia nihil aliud est character sacerdotalis quam potestas exercendi illud ad quod principaliter ordinatur sacerdotii ordinatur, oportet quod sit idem quod spiritualis potestas. Ideo character, et potestas confidendi, et potestas clavum, est unum et idem per essentiam, sed differt ratione. » — Hæc ille.

Et haec sufficient ad objecta Scoti contra primam

(a) ne. — Om. Pr.

(6) ne. — Ad Pr.

(7) inferiorum. — superiorum Pr.

(a) Cfr. dist. 19, q. 1, art. 3, § 4, ad 4<sup>um</sup>.

(6) Cfr. ibid.

conclusionem. Ad quorum elucidationem valebunt dicenda ad objecta contra secundam conclusionem.

### § 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. **Ad argumenta Durandi.** — Ad primum contra secundam conclusionem, respondet Petrus (dist. 24, q. 1), quod « major argumenti vera est tunc solum quando plures actiones ordinantur sic ad unum effectum communem, quod non habent præter illum aliquem proprium effectum ex opere operato, qui sufficiat ad rationem sacramenti; sicut est in exorcismo, et in illis quæ diemuntur ante et post in quolibet ordine quando confertur. Secus autem est quando quilibet actio habet proprium effectum ex opere operato, qui sufficit ad rationem sacramenti. Tunc enim quodlibet est sacramentum. Sed quia omnes illi proprii effectus non sunt propter se intenti, sed propter aliquid unum, ideo omnes illæ actiones simul sumptæ faciunt unum sacramentum integrum et perfectum; sed quilibet illarum facit sacramentum imperfectum et diminutum. » — Haec Petrus, et bene; hoc addito, quod major Durandi, licet habeat aliquam apparentiam, loquendo de actionibus ordinatis ab Ecclesia ad principalem actionem institutam a Christo, et potissimum quando ille diverse actiones sunt super eodem supposito vel persona, tamen, loquendo de diversis actionibus ordinatis a Christo super diversa supposita, et cum diversis formis, ad conferendum speciale gratiam vel effectum gratiae, dicta major nullam habet apparentiam. Sic autem est de actionibus quæ sunt ordinationes ministrorum Ecclesie sub sacerdotio.

Ad secundum respondet Petrus (ibid.), dicens quod « quando dicitur quod ordo, prout est sacramentum, est ad conferendum seu conficiendum sacramenta (z), sicut baptismus est potentia passiva ad suscipiendum ea, addendum est vel ad præparandum et ministrandum ad conficere vel conferre. Si dicatur quod ex parte potentiae passivæ non est nisi una actio quæ sit sacramentum, alio autem sunt sacramentales et præparatoriae; ergo nec ex parte potentiae activæ; — non est simile, quia plura requiruntur ad agendum quam ad patiendum. Vel dicendum quod etiam ordinum quidam disponunt ad sacramentum conferendum et conficiendum, disponendo populum. In minori autem verum dicunt; nisi de diacono, qui ex officio habet sanguinem ministrare; tamen adhuc videtur quod non sit suus gradus, nisi fiat mentio in verbis suis ordinationis. » — Haec Petrus, et bene. — Nec major argumenti est simpliciter falsa. Illa enim similitudo ibidem facta, de baptismo et ordine, non tenet per

omnia. Sed sufficit quod sicut in sacramento baptismi confertur potentia passiva ad susceptionem sacramentorum, sic in sacramento ordinis conferatur aliqua potentia activa ad exercendum aliquam actionem ordinatam mediate vel immediate ad conscientium vel dispensandum sacramentum Eucharistiae, vel ad præparandum ejus materiam vel proprium suscipientem sacramentum, vel aliquid hujusmodi. Hanc autem potestatem habet quilibet ordinatus qualicumque ordine ecclesiastico, sicut ostendit sanctus Thomas in hac distinctione, q. 2, art. 4, in solutione secundae quæstiunculae, dicens: « Distinctiū ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam; quia potestas ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiae, aut ad aliquod ministerium ordinandum ad hoc. Si primo modo, sic est ordo sacerdotum; et ideo, cum ordinantur, accipiunt calicem cum vino et patenam cum pane, ad designandum quod accipiunt potestatem consecrandi corpus et sanguinem Christi. Cooperatio autem ministrorum est vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo modo, tripliciter. Primo enim est ministerium quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento, quantum ad dispensationem, licet non quantum ad consecrationem, quam solus sacerdos facit; et hoc pertinet ad diaconum; unde in littera dicitur quod ad diaconum pertinet ministrare sacerdoti in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi; unde etiam ipsi sanguinem dispensant. Secundo est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius sacramenti; et hoc pertinet ad subdiaconum; unde in littera dicitur quod vasa corporis et sanguinis Domini portant, et oblationes in altari ponunt; et ideo accipiunt calicem de manu Episcopi, sed vacuum, cum ordinantur. Tertio est ministerium ordinatum ad præsentandum materiam sacramenti (z); et hoc competit acolytho: ipse enim, ut in littera dicitur, urceolum cum aqua et vino præparat; unde accipiunt urceolum vacuum. Sed ministerium ordinatum ad præparationem recipientium non potest esse nisi super immundos; quia qui mundi sunt, jam ad sacramenta percipienda sunt idonei. Triplex autem est genus immundorum, secundum Dionysium (*de Eccl. Hierarch.*, cap. 3). Quidam enim sunt omnino infideles, credere non volentes; et hi totaliter etiam a visione divinorum et a cœtu fidelium arendi sunt; et hoc pertinet ad ostiarios. Quidam autem sunt, volentes credere, sed nondum instructi, scilicet catechumeni; et ad eorum instructionem ordinatur lectorum ordo; et ideo prima rudimenta filii, scilicet vetus testamentum, eis legendum committitur. Quidam vero sunt fideles instructi, sed impedimentum habentes ex dæmo-

(x) *sacmenta.* — Om. Pr.

(z) *materiam sacramenti.* — *ad manum sacerdoti Pr.*

nis potestate, id est, energumeni; et ad hos habet ministerium ordo exorcistarum. Et sic patet ratio numeri et gradus ordinis. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod quilibet ordo habet potestatem vel ad consecrandum Eucharistiam, vel ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc.

Ad tertium respondet Petrus de Palude (*ibid.*), dicens quod « quando dicitur quod non est ordo simpliciter, quia non est potestas simpliciter nisi in sacerdotio, potest addi quod immo in subdiaconatu et diaconatu est nova non potestas; quia prius poterant contrahere matrimonium, postea non possunt, et, si contrahant, non est matrimonium, nec sacramentum. Item, dicendum quod bene est aliquod verum sacramentum, non solum per quod aliquis potest agere vel pati quod prius non poterat nisi illicite (sicut per matrimonium accipit potestatem unus in alium, non patiendi aut faciendi quod prius non poterat, sed faciendi licite quod prius non poterat nisi illicite); et sic est de diaconatu et subdiaconatu; item aliquid est sacramentum, per quod datur potestas faciendi ex officio quod prius poterat facere licite, sed non ex officio (sicut in confirmatione); et sic est de minoribus ordinibus, quorum actus etiam licite sine illorum ordine etiam exercentur, non tamen ex officio a Deo instituto, sicut cum illis. Vel, si concludat quod non quilibet ordo est sacramentum perfectum, sed imperfectum, concedendum est. Quod autem dicitur, quod licere non est posse nisi secundum quid; — dicitur quod immo potestas juris dicitur esse potestas simpliciter; sicut, in matrimonio, potestas quam dicitur unus habere in alium, non est potestas facti, quam magis habet qui opprimit alienam quam qui reddit debitum suæ, sed solum potestas juris, qua licite facit quod prius non poterat. Item, exorcistatus et episcopatus erunt simpliciter potestates, sicut sacerdotium; quia per illa potest quis quod prius non poterat. » — Haec Petrus, et bene. — Cum autem concludit arguens, quod ordo ostiariorum, lectorum et acolythorum non est nisi ex institutione Ecclesiae, etc.; — negandum est. Unde sanctus Thomas, ubi supra (dist 24, q. 2, art. 1, q<sup>ta</sup> 2), in solutione secundi argumenti, sic dicit: « In primitiva Ecclesia, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria diaconis committebantur, ut patet per Dionysium, tertio capitulo *Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, ubi dicit: *Ministrorum alii stant ad portas clausas templi; alii aliud quid proprii ordinis operantur; alii cum sacerdotibus ponunt in altare sacrum panem et benedictionis calicem.* Nihilominus erant praedictæ omnes potestates implicite in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus; et Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis; et secundum hoc dicit Magister in littera, quod Ecclesia alios ordines sibi instituit. » — Haec ille.

Ad quartum respondet Petrus (*ibid.*), dicens quod « sicut quilibet anima est anima, sed non perfecta, nisi intellectiva, in qua hæc tres unimuntur, et est una perfecta anima; sic in proposito: nisi quod ibi est totum esse entale cum toto potentiali, et est ibi unitas realis, non plures animæ in homine; hic autem est unitas ordinis; unde sunt plura sacramenta imperfecta, sed unum perfectum. Nec etiam sacerdotium sine aliis est sacramentum per se et distinctum: tunc enim alia vel non essent sacramenta, vel essent distincta sacramenta a sacerdotio. Quod autem dicit Thomas, quod tota plenitudo hujus sacramenti est in sacerdotio, intelligendum est quantum ad essentiam illius quod principaliter et finaliter queritur in omnibus ordinibus, non autem quantum ad perfectionem et integratatem accidentalem ejusdem, nec quantum ad essentiam eorum quæ immediate ut proprius finis queruntur in singulo ordine: nisi enim sacerdos suscepisset ordinem diaconatus, non licite ficeret officium diaconi; nisi forte inferior contineatur in superiori. » — Haec Petrus. — Et videtur in aliquibus discordare a sancto Thoma. Nam sanctus Thomas, in hac distinctione, q. 4, art. 2, in solutione quintæ quæstiuncule, sic dicit: « Non est de necessitate superiorum ordinum quod aliquis prius habeat minores ordines: quia potestates sunt distinctæ; et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto. Et idèo, in primitiva Ecclesia, aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius ordines inferiores non suscepserant. Et tamen poterant omnia quæ possunt inferiores ordines: quia inferior potestas comprehenditur in superiori, virtute; sicut sensus in intellectu, et ducatus in regno. Sed postea per constitutionem Ecclesie determinatum est quod ad majores non se ingerat, qui prius in minoribus officiis non se humiliavit. Et inde est quod qui ordinantur per saltum, non reordinantur; sed id quod omissum fuerat de præcedentibus ordinibus, eis confertur. » — Haec ille. — Item, sicut recitatum fuit in solutione præcedentis, secundum ipsum (dist. 24, q. 2, art. 1, q<sup>ta</sup> 2, ad 2<sup>um</sup>), potestas diaconi comprehendit omnes inferiores virtute et implicite.

Dicitur ergo quod in arguendo Durandi sunt multi defectus. Primus est, cum insert istam falsam consequentiam ex dictis sancti Thomæ: *In diaconatu et inferioribus ordinibus est aliqua participatio sacramenti ordinis; sed in sacerdotio est plenitudo hujus sacramenti; ergo solum sacerdotium est sacramentum, et reliqui ordines non sunt sacramentum, sed sacramentale.* Haec enim consequentia non sequitur ex dictis sancti Thomæ. Nec est secundum mentem ejus: nam ipse concedit antecedens, et negat consequens. Quod patet: nam ipse concedit quod quilibet ordo est sacramentum. Nam, quæstiuncula hujus distinctionis, art. 1, in solutione tertiae quæstiuncule, sic dicit: « Ordo

dicitur sacer dupliciter. Uno modo, secundum se; et sic quilibet ordo est sacer, cum sit sacramentum quoddam. Alio modo, ratione materiae circa quam habet aliquem actum; et sic ordo dicitur sacer, qui habet aliquem actum circa rem consecratam. Et sic sunt tantum tres ordines saec: scilicet sacerdos, et diaconus, qui habent actum circa corpus et sanguinem Christi consecratum; et subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata. » — Hac ille. — Ex quibus patet quod, secundum mentem et dicta ejus, quilibet ordo est sacramentum. Sed arguens male exponit dicta ejus, et forte prave intellexit. Cum enim dicit sanctus Thomas, in antecedente illius consequentiae, quod tota plenitudo hujus sacramenti est in solo sacerdotio, et in aliis est quedam participatio, non loquitur de participatione sacramenti quoad nomen et rationem, sed quoad potestatem; quia illa perfecte est in sacerdotio, sed participative in aliis. Et quod loquatur de hac participatione, patet. Nam, eodem articulo primo, q<sup>a</sup> 4, in solutione tertii, sic dicit: « In regno, quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quae sunt participationes quedam regiae potestatis. Et similiter est in ordine. » — Hac ille. — Et hoc consonat dictis ejus in consimili materia. Nam, 1 p., q. 77, art. 4 (ad 1<sup>um</sup>), sic dicit: « Totum potestatum medium est inter totum universale et totum integrale. Totum enim universale adest unilibet parti secundum totam essentiam et virtutem, ut animal homini et equo; et ideo proprie de suis partibus predicitur. Totum vero integrale non est in qualibet parte, neque secundum totam essentiam, neque secundum totam virtutem; et ideo nullo modo de suis partibus predicitur; sed aliquo modo, licet improprie, predicitur de omnibus simul; ut si dicamus quod paries, tectum et fundamentum sunt domus. Totum vero potentiale inest suis partibus secundum totam essentiam, sed non secundum totam virtutem; et ideo quodammodo potest predicari de qualibet parte, sed non ita proprie sicut totum universale. Et per hunc modum Augustinus dicit (10. de Trinitate, cap. 41) quod *memoria, intelligentia et voluntas sunt una animae essentia.* » — Hac ille. — Item, posito quod sanctus Thomas loqueretur de participatione sacramenti ordinis quoad nomen et rationem, et non de participatione quoad potestatem, adhuc argumentum peccat per fallaciam consequentis, arguendo a propositione habente plures causas veritatis ad unam illarum. Nam, cum dicitur quod in aliis ordinibus a sacerdotio est quedam participatio sacramenti ordinis, hoc potest dupliciter intelligi, scilicet vel quia ratio sacramenti nullo modo salvatur in aliis, aut quia non ita perfecte et complete. Ex hac autem disjunctiva non licet inferre aliquam partem, sicut arguens facit.

Secundus defectus illius argumenti est, quia, concesso quod quilibet ordo sit sacramentum, et predicationem sacramenti recipiat, non sequitur quod sacramentum ordinis se habeat ad singulos ordines sicut totum universale ad partes subjectivas, propter causas statim assignatas. Tum, quia non adest unilibet parti secundum totam suam virtutem. Tum quia nomen et ratio sacramenti prius et perfectius salvatur in uno ordine quam in alio; cuius oppositum est de toto universaliter univoco, respectu suarum partium. Tum quia non dicimus quod quilibet ordo sit per se et distinctum sacramentum penitus ab alio ordine; sed quod quilibet ordo est sacramentum, sed non perfectum sine alijs. Quae quidem imperfectio potest dupliciter intelligi. Quia, si loquamur de aliis ordinibus, aliis a sacerdotio, nullus (<sup>a</sup>) eorum, nec omnes simul, sine sacerdotio, habent plenitudinem potestatis ordinis, ut dictum est. Si vero loquamur de ipso sacerdotio sumpto seorsum ab aliis ordinibus, deficit sibi aliqua perfectio accidentalis vel secundaria, quam haberet cum aliis, de qua fit mentio in probatione conclusionis: utpote quia non ita perfecte recommendat aut representat divinam sapientiam; nec ita subvenit humanae infirmitati; nec dat viam proficiendi pluribus, sicut faciunt septem ordines simul sumpti; et ultius quia non ita perfecte significat rem et effectum ei potestatem totalis sacramenti ordinis, sicut faciunt omnes septem ordines simul sumpti; et propter multa alia.

Tertiis defectus argumenti est, quia, posito quod septem ordines sint unum perfectum sacramentum, non sequitur quod sacramentum ordinis se habeat ad singulos ordines sicut totum integrale ad partes suas integrales, proprie loquendo, propter rationes praetextas: scilicet, quia totum integrale non adest alieui sua parti, neque secundum totam sui essentiam, nec secundum virtutem totam; secus est de sacramento ordinis respectu singulorum ordinum, ut dictum est; nec salvatur secundum totam suam virtutem in aliqua parte sua, sicut ordo in sacerdotio salvatur secundum totum posse suum.

Ad quintum respondet Petrus (ibid.), dicens quod « solutio quam dat arguens ad argumentum, non valet. Primo, quia videtur innovere quod in minoribus ordinibus gratia non conferatur. Quod est falsum. Quia aut eorum actus a carente gratia non possunt exerceri sine peccato; et tunc eadem ratione confertur in eis gratia sicut in diaconatu et subdiaconatu. Aut possunt sine peccato; et tunc saltem non possunt exerceri cum merito. Quando autem Deus eligit aliquem ad aliquid officium, non solum dat illud quod est necessarium ad hoc quod exercens non mereatur poenam, sed etiam illud quod est necessarium ad hoc quod implens (6)

(a) nullus. — nullum Pr.

(6) implens. — in plures Pr.

mereatur præmium et mercedem; alias deficeret in necessariis; quia frustra quis laborat, si nec præmium nec meritum consequatur, nec pœnam vitet. Et, in minoribus ordinibus, adjungitur: *Sic agas: ut partem habeas cum illis*, etc. — Quod autem dicitur, quod non omne illud in quo ex operè operato confertur gratia, est sacramentum, — est contra distinctionem sacramenti novæ legis, que non plus continet nisi sensibile signum exterius et gratiam sanctificantem interius ex opere operato: ita tamen quod vel ipsa res que confert gratiam, est sacramentum, et non usus ejus (sicut communio non est sacramentum, sed usus sacramenti, et tamen ex opere operato confert gratiam); vel usus rei quæ confert sanctitatem, est sacramentum, sicut in baptismo. — Quod autem dicitur, quod in illis solis ordinibus qui ordinantur contra peccatum, vera est major, — falsum est: quia solum baptismus et pœnitentia et extrema unctione, secundum eos, directe ordinantur contra peccatum tollendum; et alia contra alios defectus; et nihilominus sunt vera sacramenta, ex hoc quod ex opere operato conferunt gratiam. Et istam majorem, quam modo distinguunt, ipsi solebant accipere indistincte ad probandum aliquid esse sacramentum, quia scilicet habebat aliquid sensibile exterius, per quod interius sanctitas causabatur. Sacramentum enim est saeculae rei signum, ita ut causa existat, et similitudinem gerat; et nihil plus requiritur. — Quod ulterrimus dicitur, quod, in operationibus que principaliiter ordinantur ad conferendum potestatem vel officium, illa sola est sacramentum, per quam datur potestas immediate ad illum finem, — verum est, si loquatur de fine immediato ad quem gratia requiritur; non autem de fine remoto. Si enim per sacerdotium conferretur tantummodo potestas, et non gratia, ex opere operato, non esset sacramentum novæ legis, sed solum antiquæ. Vel si per sacerdotium solum daretur gratia, et non aliqua potestas, posset esse sacramentum in nova lege, sicut extrema unctione, in qua non datur potestas per quam super alios constituatur. Ergo ex his duobus est sacramentum, sicut ex causa finali; quia datur potestas, et gratia, ad bene utendum ea. Ubicumque ergo illa duo concurrunt, ibi est sacramentum. Ideo, etc. — Quod autem dicunt, quod sacramentum et sacramentalia non oportet simul conferri, — verum dicunt, sicut de catechismo in primitiva Ecclesia. Sed ex hoc potest argui contra eos. Quia illud non se habet ad aliud sicut sacramentalia ad sacramentum, quod non potest cum ipso licite conferri, vel quod non potest cum ipso iterari, etiamsi sit cum consecratione datum; sicut unctione in scapulis et in vertice iterantur, quia non fuit verus baptismus; et non solum catechismus et exorcismus. Quando enim essentia sacramenti defuit, debent omnia sacramentalia iterari; quia non debet dari sacra-

mentum nisi omnibus concurrentibus, excepta necessitate. — Quod autem dicitur, quod debet cante suppleri quod fuit omissum, et nihil est iterandum, *Dé sacramentis non<sup>(2)</sup> iterandis*, cap. 1, — verum est, quando illud quod fuit omissum, non erat essentiale et principale in sacramento, sed vel erat pure sacramentale (sicut catechismus omissus debet dici solus, et non aliud, quia est pure sacramentale); vel quando erat essentiale, sed non principale (sicut si manus impositio est omissa in diacono vel sacerdote, quod essentiale est, sed non principale, illud solum supplendum est). Sed si nec characterem impressus fuisset, omne illius characteris sacramentale repetendum esset: sicut si sacerdoti non fuisset traditus calix, omne pure sacramentale ad ordinem sacerdotii repetendum esset cum illo, vel saltem posset repeti. Sed quando sacerdotium datur, non oportet, immo non licet aliquem alium ordinem cum illo conferri. Ergo nullus ordo est ad ipsum sicut pure sacramentale. — Confirmatur major hujus rationis. Quia illud quod est tantum sacramentale, et non sacramentum, potest iterari sine injuria sacramenti; quia per iterationem ejus quod non est sacramentum, non fit injuria sacramento. Immò etiam quando sacramentum confertur, solent sacramentalia iterari, si prius, quando fuit adhibita essentia sacramenti, non fuerunt collata. Unde et in primitiva Ecclesia, quando catechumeni veniebant ad baptismum, quantumcumque essent instructi, ut Ambrosius, Augustinus et Martinus, nihilominus replicabatur eis id quod parvulis nondum catechizatis dicitur, *Credis, Credo*. Et si, factis omnibus ceremoniis, inveneriatur puer non baptizatus, quia defuit forma vel materia, quando baptizabitur, replicabitur totum: sicut, dicto toto canone, si non appareat esse panem vel vinum, reincipietur totum a canone, et apponetur nova hostia. Et similiter, quando essentiale ordinis est omissum, omnia reiterantur. » — Haec Petrus, cum multis aliis probationibus ad hoc quod alii ordines non sint pure sacramentalia, sed (<sup>(6)</sup>) sacramenta. — Ex quibus patet solutionem Durandi ad argumentum quod recitat, non valere; et potissimum quia contra doctrinam communem est, quod aliquid pure sacramentale ab Ecclesia institutum, et nullo modo a Christo, vel mediate, vel immediate, conferat gratiam ex opere operato. Hoc enim pertinet ad potestatem auctoritatis vel excellentiae in sacramentis, quam sibi soli Christus reservavit. Ideo nihil est dictu quod aliquis ordo conferat gratiam ex opere operato, et tamen non sit sacramentum, sed sacramentale ab Ecclesia institutum; vel quod aliqua actio instituta a Christo, conferens gratiam ex opere operato, sit tantum quid sacramentale, et non verum et proprium sacramentum.

(2) non. — Om. Pr.

(6) sed. — et non Pr.

**II. Ad argumenta aliorum.** Ad primum aliorum respondet Petrus (dist. 24, q. 1), dicens quod & illa ratio omittit medium. Quia ratio sacramenti consistit in omnibus essentialiter, sed non aequaliter: sicut ratio vite non consistit aequaliter in vegetativo, sensitivo et intellectivo, sed in solo intellectivo totaliter et perfecte, in aliis imperfecte et partialiter, sed tamen essentialiter. Et sic in proposito: quilibet ordo est sacramentum essentialiter, quia habet utraque essentialia: sed non perfecte, nisi sacerdotium. Et ideo sunt unum sacramentum, propter ordinem ad unum, scilicet corpus Christi, ad quod omnes ordinantur. » — *Hoc Petrus, et bene.*

Ad secundum respondet, negando consequentiam, ibi factam, scilicet: si ordo est sacramentum, et quilibet ordo est sacramentum, ergo sunt septem sacramenta, vel tredecim. & Quia consecratio panis ante consecrationem vii est simplius sacramentum, et per se, quantum ad hoc quod ei competit definitio sacramentorum est est ibi totus effectus et completus; et similiter est de consecratione vini. Non tamen sunt tot sacramenta simpliciter, quia sunt consecrationes: quin ambae ordinantur ad unum finem, qui, hie, est perfecte in quilibet quantum ad rem sacramenti, non tamen quoad sacramentum, seu quoad signum, est perfecte, nisi sub ultraque specie. Et sic est in proposito: quia, hie, in quilibet ordine sit illud quod per se sufficeret ad totam rationem sacramenti et ideo quilibet potest dici sacramentum, quia tamen omnes ordines ad unum quid principaliter ordinantur, propter hoc sunt unum sacramentum unitate ordinis. » — *Hoc Petrus, et bene.* Ad cuius intellectum facit illud quod dicit sanctus Thomas, octava distinctione hujus, q. 1, art. 1, in solutione secundae questionis: « Per se, inquit, unum simpliciter, et quod est numero unum, tribus modis dicitur. Uno modo, sicut indivisible dicitur unum, ut punctus et unitas, quod neque est multa actu, neque potentia. Alio modo, quod est unum continuitate, quod tamen est multa in potentia, sicut linea. Tertio modo, quod est unum perfectione, sicut dicitur calceamentum unum, quod habet omnes partes que requiruntur ad calceamentum. Et haec unitas dicitur in omnibus illis ad quorum integratem aliqua exiguntur, sicut unus homo, et una dominus. Et quia ad esse (2) sacramentum multa concurrunt, sicut materia, et forma, et hujusmodi, ideo ab hac unitate dicitur sacramentum unum esse. Illa enim sunt de integritate alienus instrumenti, que requiruntur ad illam operationem ad quam instrumentum est deputatum. » — *Hoc ille.* — Et applicat hoc ad Eucharistie sacramentum. Similia dicit, 3 p. q. 73, art. 2: « Sicut, inquit, dicitur, 5. *Metaphysicæ*

(1. c. 8 et seq.), unum dicitur non solum quod est indivisible, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum, sicut enim dicitur unus homo, et una dominus. Est autem unum perfectione, ad cuius integratem concurrunt omnia que requiruntur ad finem ejusdem: sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis operationi animali, et dominus ex partibus que sunt necessariae ad inhabendum. Et sic hoc sacramentum dicitur unum: ordinatur enim ad spiritualem refectionem, etc. » — *Hoc ille.* — Et loquitur de Eucharistia. Et in fine concludit quod Eucharistia est multa sacramenta materialiter, ideo quandoque dicitur sacramenta in plurali; sed est unum formaliter et perfective, inquantum ordinatur ad unam refectionem. Et sic potest dici in proposito, quod septem ordines sunt septem sacramenta materialiter; sed sunt unum sacramentum formaliter et perfective, propter ordinem ad unum finem, qui est Eucharistie sacramentum.

Ad tertium respondet Petrus (ibid.), quod & non sequitur, si quilibet ordo est sacramentum, quod sint partes subjective et sacramentum universale totum. Quia, licet inaequalitas partium non excludat totum universale, nec illud quod est genus, quia species semper sunt inaequales, nec illud (2) quod est species, que aliquando est recipiens magis et minus: tamen partium subjectivarum, secundum quod hujusmodi, una non ordinatur ad aliam; non enim albedo minus intensa ordinatur ad aliam magis intensam, nec ambae ad tertiam, nec similiter nigredo ad albedinem. Sic autem est in ordinibus, quod unus alii subservit, et omnes att unum quid ordinantur, inquantum sunt sacramenta. Unde non sunt partes subjective. Et quod dicebatur: ergo sunt integrales; — dicendum quod non. Quia partes integrales sacramenti dicuntur aliquae quadrupliciter. *Primo*, propter partialitatem signi, non rei: sicut in Eucharistia, quilibet consecratio per se sumpta continet totam rem sacramenti, et tamen non habet nisi partem signi, nec in materia, nec in forma; unde sola pars rei est ibi vi sacramenti; cum enim dico, *Hoc est corpus meum*, non significo sanguinem, nec panis significat sanguinem. *Secondo*, partes integrales dicuntur in sacramento, quarum quilibet per se nata est totam rem continere et significare, sed ex ordine et intentione non habet nisi partem, sed omnes simul habent totum: sicut in baptismō, tres immersiones, quarum quilibet per se poterat esse baptismus totus, ex intentione volentis tria immersione baptizare, vel baptismum conferre, in sola ultima est effectus, ante nihil; et si ante tertiam moreretur baptizandus, nihil actuū esset, et esset totum iterandum, si suscitare-

(2) a verbis *quod est genus* usque ad *nec illud*, om. Pr.

tur; sicut est ex parte verborum, quod, ante ultimum, nihil actuū est, sed a principio iterandum est totum, si aliiquid de substantia verborum sit omissum. *Tertio modo* dicuntur partes integrales, quarum qualibet effectum habet partiale statim, et est signum partiale, nec una plus quam alia, sed omnes simul habent effectum totalem; sicut in extrema unctione. Omnes enim unctiones causant unam perfectam curationem animae, sed qualibet partiale: quia, si nihil ageretur per quamlibet, sed solum per ultimam, in virtute primarum, sicut est de verbis et immersionibus baptismi, tunc, si minister moreretur post primam unctionem, nihil esset actuū, sed esset illa unctione iteranda; sicut de immersionibus et verbis dictum est. Et præterea, distineta et partialis significatio habet distinctum et partiale effectum in sacramentis, quæ efficiunt quod signant vel significant; sed distineta et partialis significatio est, dicendo, *Per istam sanctam unctionem, indulget tibi Dominus quidquid deliquisti per visum* (a); ergo hoc solum efficitur ex vi sacramenti, scilicet remissio commissorum per visum (b), sive quoad culpam, sive quoad pœnam, sive quoad reliquias. Sed ex naturali concomitantia, si per alium sensum commisit peccatum mortale, sine quo peccatum visus non potest remitti, remitteretur etiam; sicut sub specie panis est sanguis, quia non est separatus a corpore. Sed si sacramentum illud ordinatur contra veniale culpam, cuius remissio non habet connexionem, tunc accedit una unctioni quod habeat effectum alterius. Et similiter, si contra pœnam, vel reliquias peccati (quia forte sunt distinctæ), aut si infirmitas contra quam est sit aliiquid indivisibile, per quamlibet unctionem fit ad eam dispositio spiritualis. *Quarto modo* dicuntur partes integrales sacramenti, quando neutra per se habet effectum aliquem, sed ambae simul junctæ: ita tamen quod effectus est ab una quasi formaliter, et ab alia quasi materialiter, sicut materia et forma in naturalibus (et sic sunt verba et elementum in qualibet sacramento); et non sicut partes verborum ad invicem, vel partes materiæ, vel actionum, que se habent aequaliter, sicut in secundo modo. Nullo autem istorum modorum quatuor se habent ordines ad invicem: quia non quilibet ordo habet effectum totum omnium ordinum sub signo partiali, ut in primo modo; nec omnes simul habent unicum effectum ad quem aequaliter se habeant, et nullus sine alio aliquem, ut in secundo modo; nec inaequaliter, ut in quarto; nec quilibet habet suum effectum partiale aequaliter, ut ex illis resultet totus unus effectus in eodem, ut in extrema unctione, quia perfecta cura-

tio animæ non est ex aliqua una unctione, sed ex omnibus simul. Sed si non essent ordines inferiores sex, solum sacerdotium haberet illum effectum principale ad quem omnes ordines ordinantur, scilicet confidere corpus et sanguinem. Hoc autem est contra naturam totius integralis, quod possit salvare in aliqua sui parte, loquendo de heterogeneis et partibus essentialibus. Unde relinquuntur quod sunt plures partes potentiales. » — Haec Petrus, et bene, et subtiliter.

Verumtamen quod dicit, quod una pars subiectiva, secundum quod hujusmodi, non ordinatur ad aliam, — videtur falsum esse in partibus subiectivis specie differentibus vel genere. Constat enim quod elementa sunt propter mixta; et plantæ propter animalia, et animalia imperfecta propter perfecta, et irrationalia propter hominem; licet omnia ordinentur principaliter ad suum totum, quod est universum, et ad Deum, qui est omnium principium et finis. De hoc sanctus Thomas, 1 p., q. 65, art. 2. Similiter, de individuis ejusdem speciei, puta humanae, dicit Aristoteles, 1. *Politice*, cap. 4, quod quidam sunt naturaliter servi aliorum. Dicitur ergo quod quilibet ordo per se sumptus, est sacramentum, perfectum, vel imperfectum; et, cum hoc, omnes septem ordines sunt unum sacramentum perfectum. Nec ex prima parte hujus copulativæ sequitur quod septem ordines sint septem sacramenta formaliter et perfective; sed solum materialiter, ut superius (z) dictum fuit. Similiter, ex secunda parte dictæ copulativæ non sequitur quod septem ordines sint partes integrales unius totius ex illis constituti, sed partes potentiales, propter causam superius dictam, quia scilicet totum, cuius sunt partes, adest cuilibet parti secundum essentiam, sed non secundum totam virtutem. Et est simile quoad aliqua, sicut si diceretur quod anima intellectiva et anima sensitiva et anima vegetativa sunt partes hujus totius quod est anima: quia anima salvatur in qualibet praedictarum partium, secundum totam essentiam, et nomen, et rationem, sed non secundum totam virtutem animæ, sed tota virtus complete salvatur in intellectiva, in aliis vero est participatio virtutis. Verum est quod, secundum alium modum loquendi, ipsa anima intellectiva potest dici totum potentiale respectu sensitivæ et vegetativæ, sicut ostendit sanctus Thomas, 3. *Sentent.*, dist. 33, q. 3, art. 1, in solutione primæ quæstiunculae, dicens: « Omne totum ad tria genera reducitur, scilicet universale, integrale et potentiale. Et similiter triplex pars invenitur dictis totis correspondens. Integralis enim pars intrat in constitutionem totius, sicut pars domus paries. Universalis vero totius pars suscipit totius prædicacionem, sicut homo animalis. Potentialis vero pars

(a) a verbis sed distincta usque ad visum, om. Pr.

(b) per istam unctionem indulget tibi Dominus quidquid deliquisti per visum. — Ad Pr.

(z) Cfr. responsionem ad argumentum præcedens.

neque prædicationem totius suscipit, neque in constitutionem illius oportet quod veniat, sed aliquid de potentia totius participat, sicut patet in anima. Rationalis enim anima tota dicitur, eo quod in ipsa omnes potentiae animæ congregantur. Sensibilis vero in brutis, et vegetabilis in plantis, dicuntur partes animæ, quia aliquid de potentia animæ habent, sed non totum. Unde dicitur in libro *de Plantis* (lib. 1, cap. 1), quod non habent animam, sed partem animæ. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod de toto potentiali varie loquuntur doctores : quia aliquando volunt quod prædicetur de qualibet parte, aliquando non. Secundo patet quod utraque consequentia facta in argumento non valet.

Ad quartum respondet Petrus (*ibid.*), dicens : « Finis est principalis respectu ejus quod est ad finem. Unde effectus principaliter intentus in administratione sacramenti, potest dici dupliciter : uno modo, tanquam finis proprius; alio modo, tanquam finis communis. Operatio autem sacramentalis ad finem proprium se habet dupliciter. Uno modo, sicut ipsum causans ex opere operato; et est talis finis qui est de ratione sacramenti ut sacramentum est, puta gratia, vel cum hoc deputatio ad aliquod sacrum. Et tale quid est sacramentum, et non sacramentale tantum : quidquid enim ex opere operato causat gratiam, est sacramentum, vel pars ejus. Aliquando finis proprius non est gratia, sed aliquid aliud; et hoc, sive causeatur ex opere operato, ut exorcismus, sive ex opere operante, ut catenacismus. Et huiusmodi sunt sacramentalia, et non sacramenta. Finis vero communis est, ex cuius unitate plura possunt dici unum sacramentum perfectum; quorum quodlibet, per se sumptum, est imperfectum quoad signum, sive quoad effectum, sive quoad utrumque, et sive unum sit perfectius alio, sive non. Et sic est in proposito. Omnes enim ordines ad hoc sunt ut Missa integre et perfecte celebretur, ad quam omnes ordines per se aliquid operantur. Nec est aliquis ordo qui perfecte hoc possit sine aliis; nec etiam ipsum sacerdotium, quamvis per se possit in essentiam vel Eucharistiam. Et ideo nec sacerdotium, prout est ab aliis distinctum, est sacramentum integrum et perfectum. Sed omnes simul sunt unum perfectum sacramentum : quia omnes simul conferunt potestatem et gratiam faciendi omnia requisita per se ad perficiendum digne unum effectum, qui est Sacramentum Altaris. Nihilominus tamen quodlibet per se est sacramentum, sed imperfectum : sacramentum quidem, quia ex opere operato ad aliquid sacrum deputat, ad quod bene agendum etiam gratiam confert; sed imperfectum, quia non deputat ad illud modo perfecto, sed imperfecto, et gratiam imperfectam tribuit, juxta proportionem ad actum ad quem ordinat. Sic et traditio calicis cum forma potest dici sacramentum, quia ex opere ope-

rato dat potestatem et gratiam; et similiter impositionem manuum cum forma dat Spiritum Sanctum (aliter esset mendacium), et potestatem remittendi peccata. Non tamen sunt duo sacramenta, sed unum : quia ordinantur ad unum perfectum gradum et potestatem sacerdotis, cuius est duplex actus. Et ideo per duas formas et duas exteriores res datur utraque potestas : una quidem ex vi sacramenti, alia ex concomitantia, in utraque simul, sicut in Eucharistia; quamvis sit dissimile, quia ibi est duplex materia, hic una. » — Hæc Petrus.

In quibus, licet multa vera et subtilia dicat, tamen aliqua falsa vel dubia ponit. Primum est, quod sacerdotium, prout est ab aliis distinctum, non est perfectum sacramentum, nec confert potestatem et gratiam faciendi in Missa, vel in celebratione Missæ, quam conferunt alii ordines. Si enim intelligat quod sacerdotium non confert characterem aliorum ordinum, verum dicit. Si autem intelligat quod character et potestas aliorum ordinum non contineatur virtualiter in charactere et potestate sacerdotii, falsum est, ut superius (ad quartum Durandi) ostensum est ex dictis sancti Thomæ (dist. 24, q. 1, art. 2, q<sup>ta</sup> 5). Conceditur tamen quod sacerdotium, prout est ab aliis distinctum, non est perfectum sacramentum, quoad rationem significandi dictas potestates. — Secundum dubium, vel falsum, est, quia innuit quod sacerdotium habeat, secundum duos actus suos, duos characteres, vel distinctas potestates quoad suum absolvunt. Hoc enim falsum est, et contra sanctum Thomam, ut ostensum est supra (α). Ejusdem enim potestatis est Eucharistiam confidere, et ligare vel solvere. Cujus ratio haberi potest ex dictis sancti Thomæ, in praesenti distinctione, q. 2, art. 2, in solutione primi argumenti. Ait enim sic : « Duplex est preparatio suscipientium sacramentum Eucharistie. Quædam renota; et hæc per ministros perficitur. Quædam proxima, qua statim efficiuntur idonei ad sacramenti perceptionem; et hæc pertinet ad sacerdotes; quia, etiam in naturalibus, ab eodem agente fit materia in ultima dispositione ad formam, et recipit formam. Et quia in proxima dispositione ad Eucharistiam fit aliquis per hoc quod a peccatis purgatur, ideo omnium sacramentorum que sunt instituta principaliter ad purgationem peccatorum, est minister proprius sacerdos, scilicet pœnitentiæ, baptismi, et extremae unctionis. » — Hæc ille. — Ex quibus potest elici quod dictum est : quia eadem potestate vel virtute sacerdos disponit ad Eucharistiam purgando, et conficit et confert Eucharistiam, informando, vel illuminando, vel perficiendo (6); et ita eadem potestate conficit et absolvit.

(α) Cfr. in praesenti articulo, § 1, ad 3<sup>um</sup>; et dist. 19, q. 1, art. 3, § 1, ad 4<sup>um</sup>.

(6) *perficiendo*. — *proficiendo* Pr.

Ad argumentum contra questionem (α) respondet sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 1, q<sup>la</sup> 3, in solutione tertii, dicens : « Non omnis benedictio quae homini adhibetur, vel consecratio, est sacramentum : quia monachi et abbates benedictuntur, tamen illæ benedictiones non sunt sacramenta ; et similiter nec regalis unctione ; quia per hujusmodi benedictiones non ordinatur aliquis ad dispensationem divinorum sacramentorum, sicut per benedictionem ordinis ; et ideo non est simile. » — Hæc ille.

Et hæc de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

## DISTINCTIO XXV.

### QUÆSTIO I.

#### UTRUM EPISCOPATUS SIT ORDO

**Q**IRCA vigesimamquintam distinctionem 4. *Sententiarum*, et finem praecedentis, queritur : Utrum episcopatus sit ordo. Et arguitur quod non. Quia unus ordo non dependet a praecedenti, quantum ad necessitatem sacramenti. Sed episcopalis potestas dependet a sacerdotali ; quia nullus potest recipere episcopalem, nisi prius habeat sacerdotalem. Ergo episcopatus non est ordo.

In oppositum arguitur. Quia ordo nihil aliud est quam quidam potestatis gradus in spiritualibus dispensandis. Sed Episcopi possunt dispensare aliqua sacramenta, quæ non possunt dispensare sacerdotes, sicut confirmationem et ordinem. Ergo episcopatus est ordo.

In hac quæstione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

#### ARTICULUS I.

##### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio :** Quod episcopalis potestas quoad aliqua est superior potestate sacerdotis non episcopi.

Hanc ponit sanctus Thomas, vigesimaquarta

(α) questionem. — conclusionem Pr.

distinctione hujus, q. 3, art. 2, in solutione primæ quæstiunculae, ubi sic dicit : « Sacerdos habet duos actus : unum principale, scilicet consecrare verum corpus Christi ; alium secundarium, scilicet præparare populum ad susceptionem hujus sacramenti, ut prius (dist. 24, q. 2, art. 2) dictum est. Quantum autem ad primum actum, actus sacerdotis non dependet ab aliqua superiori potestate, nisi divina. Sed quantum ad secundum (α) dependet ab aliqua superiori potestate, etiam humana. Omnis enim potestas quæ non potest exire in actu nisi presuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate quæ illas ordinationes facit. Sacerdos autem non potest solvere nec ligare, nisi presupposita prælationis jurisdictione, qua sibi subdantur illi quos absolvit ; potest autem consecrare quamlibet materiam a Christo determinatam ; nec alius requiritur, quantum est de necessitate sacramenti, quamvis ex quadam congruitate præsupponatur actus episcopalis in consecratione altaris et vestium et hujusmodi. Et ita patet quod oportet esse supra sacerdotalem potestatem, episcopalem, quantum ad actu secundarium sacerdotis, non autem quantum ad primum. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari duplex ratio, pro duplice parte conclusionis. Et quidem pro prima, scilicet quod episcopalis potestas non sit superior potestate simplicis sacerdotis quoad primum et principalem actu sacerdotis, probatur sic : Potestas sacerdotalis potest exire in suum principalem actu, non supposito aliquo actu potestatis episcopalis. Ergo, quoad hoc, potestas sacerdotalis non est inferior potestate episcopali, nec potestas episcopalis est ea superior.

— Quoad secundam partem conclusionis, scilicet quod potestas episcopalis sit superior potestate simplicis sacerdotis quoad actu secundarium ejus, arguitur sic : Potestas quæ non potest exire in actu suum secundarium, nisi presupposita ordinatione vel actione alterius potestatis, est tali potestate inferior quoad hoc. Sed potestas sacerdotalis illo modo se habet ad potestatem episcopalem. Ergo, etc.

**Secunda conclusio** est quod episcopatus est ordo, accipiendo ordinem large, prout ordo dicitur tam de sacramento quam de officio non sacramento ; non autem proprie et stricte, prout ordo est sacramentum.

Hanc ponit sanctus Thomas, ubi supra (dist. 24, q. 3, art. 2), in solutione secundæ quæstiunculae, dicens : « Ordo potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum quod est sacramentum ; et sic ordinatur omnis ordo ad Eucharistie sacramentum ; unde, cum Episcopus non habeat superiorem potestatem sacerdote quantum ad hoc, episcopatus non erit

(α) etiam. — Ad. Pr.